



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

IV. Quibus Auxiliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

& Seneca locis citatis tam vehementer amplectitur, & in quam naturæ vitio plus satis propendemus, interturbat: itaque vir bonus semper habebit Deum ante oculos, nullum hominem, solum autem Deum, idque ut assuescat non Rationi obedire, ut sua est (quod admodum lubricum est & ad philautiam certissime vergit) sed ut Dei est, mente scil. ejus conceptâ, & ad instar legis ab ipso emanantis nobis latâ.

IV. QUIBUS AUXILIIS.

Hæc particula designat Media, quæ ad finem adhibemus: & Media quidem, si per se bona sunt, non ideo tamen absolute bona erunt, nisi intentio nostra & finis simul bonus sit: contra vero si Media mala sint, non ideo fiunt bona, quia finis bonus est: V. G. dare pauperi eleemosynam, bonum est per se, sed dare pauperi eleemosynam, ut subornes eum ad accusandum vel interficiendum innocentem, malum est: contra vero servare vitam suam, bonum est: sed occidere innocentem (jussu V. G. tyranni, qui tibi necem minatur, nisi innocentem occideris) ut vitam tuam serves, malum est: unde axioma Ethicum: *Malum medium inquinat optimum finem, & optimus*

optimus finis non expurgat malum medium
 Prior pars axiomatis in priori, posterior
 in posteriori exemplo declaratur: sic
 etiam efferri possunt: *Non sunt facienda
 mala ut eveniant bona, & non sunt bona, quæ
 fiunt ut inde eveniant mala.* Symbolum hic

A MINIMIS MAXIMA.

Quo monemur, abjecta etiam Media
 & nullius fere momenti non repudiare,
 cum ab illis pendeant fines præstantissimi:
 V. G. horulam quotidie impendere rebus
 Ethicis, & potissimum sui ipsius inspectio-
 ni, leve & parvi momenti videatur; eo ta-
 men pulcherrimum finem consequimur,
 nempe Virtutem & sapientiam: similiter
 studio bonæ Logices, etiamsi ut appareret
 rei minutæ & abjectæ, si singulis diebus
 aliquantulum vaces, facile pervenies ad
 summam ingenii dexteritatem, habilita-
 temque ad alias quaslibet humanas scien-
 tias acquirendas.

Valet etiam oraculum in malis: nam à
 levissimis peccatis, dum hæc contemnuntur,
 facile venit ad summa scelera: ut
 notum est de fure illo Æsopico, qui ultimo
 supplicio daturus pænas, matri osculum
 per simulationem, & velut extremum

h 4

vale

vale offerens, nasum ei demordit; addito elogio: Si, cum primo libellum à consodali meo puer abstuli, me ut meritis eam castigasses, non huc devenissem. Ideoque nunquam temere committenda sunt, in quibus vel tantillum apparet malitiæ:

Sic etiam ex erroribus logicis, qui admodum leves videntur, & quos vix operæ pretium videatur observare præcipitant homines in gravissimos errores Physicos & Metaphysicos, hæreses & impietates: ut patet vel ex solâ mala definitione corporis, ex qua confusio rerum spiritualium ac materialium, quæ confusio certissimum omnis impietatis fundamentum est: vide Metaphys. nostr. part. 2.

V. CUR.

Cur denotat finem, quem nobis præstitutum habere debemus, is autem finis est Deo & Rationi obedire, ut satis patet ex ante sæpe & sæpius dictis. Symbolum est.

AGE QUOD AGIS.

Tunc dicimur *hoc agere*, item *agere quod agimus*, quando tantum præcise facimus, quantum finis postulat, cum vero aliquid agimus, quod parergon est, quodque ad finem